



# Disputatio juridica de justitia et jure ad tit. 1 et 2 lib. 1 Instit. secunda

<https://hdl.handle.net/1874/235050>

2

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JUSTITIA ET JURE:

Ad tit. 1. & 2. lib. 1. Instit.

SECUNDA:

QUAAM

F. D. O. M.

SUB PRAESIDIO

Viri Clarissimi.

D. PAULI VOET, Juris in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris ordinarii.

*Publicè ventilandam proponit,*

ELIAS VAN WEERDENBURCH Woudenb. Ultraj.

*Addiem 14. Martii, horis iocoque solitis.*



ULTRAJECTI,  
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,  
ANNO MDCCLV.

*Prudentissimo Speciosissimoque Viro,*  
**D. SIMONI van WEERDENBURCH,**  
Prætori in Woudenberg & Renswoude, Pa-  
renti meo filiali obsequio in æternum co-  
lendo prosequendo :

N E C N O N

*Clarissimis Doctissimisque Viris.*

**D. PAULO VOET J. U. D.** Ejusdemque  
facultatis in Illustri Acad. Ultraject. Professori or-  
dinario, præsidi meo honorando:

**D. DANIELI BERKINGERO. L.A.M.**  
Philosophia Præticæ atque Eloquentiæ in Illust.  
Acad. Ultraj. Professori ordinario :

U T E T

*Reverendo, Pietate & Doctrina*

**D. PETRO POLLIONIO**, Pastori in Ecclesia  
quæ Christo in Woudenberg colligitur, vigilans-  
fimo, de me studiisque meis bene merito & indies  
merenti.

D E N I Q U E

*Eruditis ac ornatisimis Iuvenibus,*

**D. SAMUEL van DIEST S.S. Theol. Candidato**  
Contubernali meo.

**D. ABRAHAMO de WYCKERSLOOT**  
Juris studioso, commilitoni meo suavissimo:

*Hanc disputationem submisse*

Offero

Elias van WEERDENBURCH, Resp.

DISPUTATIO JURIDICA,  
DE  
JUSTITIA ET JURE.

Ad tit. I. & 2. lib. I. Instit.

S E C V N D A.

T H E S I S I.

  
Uæ difficultates naturam Jurisprudentiæ spectant thesibus superioribus fuerunt explicatæ. Sequuntur hæc, quæ circa tria præcepta, s. 3. Inst. just. & jur. proposita, ab interpretibus passim moveri solent. Ubi quidem id venit in disquisitionem, Anne tria præcepta sint juris, id est æquitatis atque legum præcepta, an potius juris disciplinæ, id est jurisprudentiæ fundamenta? Respondeo, licet absurdum non sit statuere tria juris præcepta, esse communes justitiæ regulas, secundum quas vita nostra dirigenda: non improbabilis tamen illa mihi vita sententia, quæ jurisprudentiæ hæc statuit esse fundamenta, seu principia, è quibus cætera artis nostræ præcepta, tanquam conclusiones aut hypotheses deducuntur, & ad quæ referri possunt atque debent. Idque probatur argumento Rubricæ & s. 7. & ult. Inst. just. & jur. Cum enim toto illo titulo non nisi de justitiâ atque jure, id est juris arte agatur, *Pacius in not. ibid.* Sic ut appellatione juris ibidem jurisprudentia designetur; & ideo juris dicantur præcepta s. 3. hoc tit. non improbabiliter illa tria jurisprudentiæ principia esse statuntur. Accedit, quod omnis disciplina sive ea sit ars, sive scientia, certa & generalia contineat principia, per quæ fin-

gula, quæ in illâ disciplinâ traduntur explicari, ac demon-  
strari oportet. Cumque præter tria juris præcepta genera-  
lia nulla alia dentur, ea artis iutis esse principia, tenendum  
est. *Bocen class. I. disput. I. n. 13. Besold. comment. ad l. 10. l. I.*  
*tit. I. D. n. 10. & seq. VVurmser. Nucl. jur. controv. lib. I. contri-*  
*8. dissentire videatur Bacchov. ad Treutel. disp. I. Thes. 3. l. a.*

### II.

An vero nonnisi tria dentur juris præcepta disquiritur?  
Dicendum, licet innumera, & infinita quis facile admiserit  
præcepta, in jurisprudentiâ, & corpore juris contenta; ut  
quæ non tantum toto tit. *D. de Reg. juris*, sed & in cæteris ju-  
ris libris traduntur. *Argum. l. pen. eod. Pact. l. Regnâ 9. D. jur.*  
*& fact. ignor. Rubrica D. tit. de divers. Reg. jur. antiqu. Faber, Cu-*  
*jacins Bronch., aliisque in init. D. Reg. jur.* Quia tamen non nisi  
tria juris præcepta in *s. 3. just. & l. 10. D. just. & jure*, enume-  
rantur. Eaque sunt generalissima principalia, ad quæ cæte-  
ra omnia facili negotio referri queunt: atque juris univer-  
si finem complectuntur, imo civilem Philosophiam: frustra  
eorum numerus à nonnullis angetur. *Coras. ad l. 10. D. just.*  
*& jur. Besold. VVurmser. loc. cit. Bebio comm. ad inst. hoc tit.*

### III.

Quo igitur referre debet, verus de Deo sensus, rectul-  
que in eundem cultus? *l. 2. D. just. & jur. Respondeo*, licet  
totum hoc naturæ judicium de Deo, ejusque cultu sit ad-  
modum infirmum, & post lapsum obscuratum nimium  
nisi verbo revelato illuminetur: quia tamen nullam gentem  
adeo feram esse constat, cuius mentem non imbuerit aliquis  
numinis cultus: isque etiam ad civilem & externam poli-  
tiam pertineat: adeoque & juri gentium acribatur divinus  
cultus. *l. 1. §. 4. l. 2. D. just. & jure*: atque tria juris præcepta  
sunt communes animi nostri notiones, adeoque juris naturæ  
seu gentium primævi: dubitandum non est, quin ad ali-  
quodjistorum trium referrebeat divinus cultus. Et non in-  
commodo referetur vel ad primum præceptū: *honeste viuen-*  
*dum esse*: cum nullus honeste vivere sit dicendus, nisi pie &  
sancte

sante cum Deo vivat, ne quid vitii perpetret. *Coras. in l.*  
10. *D. just. & jur.* vel etiam meo judicio, ad tertium : suum  
cuique esse tribuendum. Secundum illud Christi : tribue Cae-  
sari, qua Cæsar is, & Deo, qua Dei. Idque colligo argum.  
l. 2. *D. just. & jure*, in quâ nostrum in Deum, in rempubli-  
cam, in proximum officium describitur. Accedit & hæc ra-  
tio, quod ea disciplina, cuius tria enumerantur præcepta, di-  
vidatur in publicam & privatam. §. ult. *Inst. just. jur.* cumque  
sub publicâ contineatur in Deum religio, eam sub tribus præ-  
ceptis contentam oportuit. l. 1. §. 2. *D. Inst. & jur. diffent.* *Bald.*  
*in comm. ad §. 3. Inst. just. & jur.* *Ames. cas. cons. lib. 5. cap. 1. n.*  
19. *Dubitat Bacchov. ad Trentlerum disp. 1. Thes. 3. l. a.*

#### IV.

Verum annon ad pauciora tria juris præcepta revocari  
possent? Respondeo, etsi permulti ita volint, quod vel  
primum præceptum, vel tertium aliquo sensu complecta-  
tur omnia. *Hottom. comm. ad tit. Inst. just. & jur. Bacchov. ad*  
*Trent. loc. cit. Ames. loc. cit.* Quia tamen tria juris enumera-  
tur præcepta, & quidem distincta, aliud sub alio non conti-  
neri verius est. §. 3. *jur. inst. & jur. l. 10. D. cod. Besold. Boicer.*  
*VVurmler. loc. cit.*

#### V.

Verum quo referenda erunt juris præcepta? Sunt qui  
ea referri volunt ad istud Christi: *Quod vis ut tibi facias ho-*  
*mines, idem fac ipsis.* Inter quos est *Coras. loc. cit.* Verum ma-  
le. Cum enim illo præcepto tantum designetur, quid sit  
nostrum officium in ordine ad proximum, non in ordine ad Deum,  
aut nosmet ipsos, quibus tamen non exigua juris pars  
occupatur, ille præcepto juris præcepta non contineri, verius  
est. *Arg. ut. Cod. Sacros. Trinit. & l. 13. in init. D. l. e. Aquil.* A-  
lli ea expressa censem illo Pauli 2. *ad Corinth. 7. v. 2.* Nem-  
inem offendimus, neminem lessimus, neminem fraudavimus:  
*VVurmler. loc. cit. n. 3.* Verum cum & omnia etiam non nisi  
officium erga proximum designent, & à secundo iuris præ-  
cepto exhaustantur, tria exhaustire nō poterunt. *Pocius ea ad*

ius naturale tria referenda esse censeo. Argum. l. 1. 2. 3. D. just. & jure. Cumque præcepta decalogi pleraque sint juris naturæ, ad ea haud incommode tria juris præcepta, ut quæ sunt juris naturæ, referri debebunt. Cumque decem verba ideo etiam hominibus sint præscripta, ut honeste vivant, proximum non lædant, suum cuique tribuant, coque tenuant omnes leges naturæ; facile colligitur ad decalogum præcepta nostra non incommode ordinari. Coras. loc. cit.

VI.

Ad quæ tamen præcepta decalogi referantur juris præcepta, multum disquiritur? Respondeo, licet omnia decalogi præcepta sint de jure naturali (intellige hominum) præter quarto præcepto comprehensum diei determinacionem. Ames. l. 1. c. 1. n. 27. Cas. cons. Coras. loc. cit. Quia tamen vix ullæ reliquæ, imo nullæ post lapsum in homine superflunt, è quibus, vel quæ secundo, vel quæ decimo decalogi præcepto continentur, erui possent, nisi speciali accidente gratiâ, atque intellectum illuminante; censerem tria juris præcepta moralem legem exceptis tribus præceptis, secundo, quarto, & decimo, exaurire; adeoque ad cætera decalogi præcepta esse referenda. Arg. l. 1. 2. D. just. & jur.

VII.

Etiam non minus inquiritur, quo referendum præceptum de non sçviendo in semet ipsum? Videtur nonnullis id ipsum haud incommode referri ad primum juris præceptum, in quantum eo præscribitur, ut quis congruenter suæ vivat naturæ. Henning. VVegner. comment. ad Inst. just. & jur. Probabilior tamen ea sententia, quæ istud præceptum, ad secundum: de neminem lædendo, refert. Proximum enim læbi ipsi sit proximus, maximaque sit hominis ad seipsum cognatio: eodem etiam præcepto sciplum lædere prohibitum censemitur. Argum. l. 3. D. just. & jur. VVurmser. loc. cit. n. 27. Bocer. loc. cit. n. 16.

VIII.

An vero tria juris præcepta sint opposita & ab invicem distin-

distincta, & quomodo explicanda ut sint distincta, non una  
omnium est opinio? De quibus omnibus videri pote-  
runt, *Donell. Cuj. Coras. Boer. Besold. VV armser.* aliisque ibi-  
dem citati. Breviter sic sentio, haud incommode primum  
præceptum spectare hominem in ordine ad semetipsum, in  
quantum æquum est eum congruenter vivere suę naturæ.  
Nisi enim prius ordinetur ad semet ipsum, non commode ad  
humanā ordinari poterit societatem. Iustitiae quippe virtus ad  
quam tria juris præcepta collimant, suo etiam modo ad recti-  
tudinem & perfectionem habentis ordinatur, *Bebio ad Inst. just. & jur. Hortom. loc. eod. diff. Bacchou. eod. loco.* Etiam ex  
parte *Ames loc. cit. n. 19.* Non tamen ideo improbaverim eo-  
rum sententiam qui primo juris præcepto eam honestatem  
exprimi censem quæ in specie accepta, ei quo licitum  
est, opponitur. l. 144. l. 197. *D. Reg. jur. Baro ad Inst. just. & jur. Baldwin. Henning. VVegner. ibid.* Et ratio generalis est, quia  
nisi honestas primo contenta præcepto ita explicaretur, ni-  
hil secundo & tertio relinquitur, quod tamen est contra ex-  
pressa verba s. 2. *Inst. b. tit.* Alterū juris præceptum spectabit  
personam cuiusque, quam ipsum violari vetat. Sive ejusdem  
tecum sit conditionis, sive diversæ, sive sit persona aliena, si-  
ve propria, sive proximi nomine veniat, sive alterius nomine,  
nihil refert. Quo etiam sensu tertium juris præceptum ex-  
plicandum esse statuo. Hac tamen adhibitâ distinctione;  
quod illud consistat in omittendo, hoc in committendo; il-  
lud negative, hoc positive efficeretur. Neque enim censeo, se-  
cundum tantum ad corpus, terrum ad bona referendum ei-  
se, sed promiscue quoad corpus, famam, bona, duo posteriora  
esse accipienda. *Arg. l. 1. 2. 3. D. just. & jur.* Aliter hic com-  
muniter statuunt omnes, vixullo quod sciām nobiscum ten-  
tiente.

## IX.

Unde colligitur tertium juris præceptum, suum cuique tri-  
buere, aliter hoc in loco, aliter in iustitiæ ante data definitio-  
ne esse accipiendum. Cum hic speciale in ibi generalem sen-  
tum admittat. Alioqui iustitiam ante definitam non o-  
mnia

942485

mnia juris præcepta, verum non nisi tertium respiceret. Alio-  
qui etiam iustitia particularis non universalis fuisse defini-  
ta, contra quam antea statuimus. *Diss. Bocer. loc. cit. n. 14. C.*  
*17. Zoes. ad S. 1. Inst. just. & jur.*

## X.

Sed anne recte tria juris præcepta enumerata, à triplici  
Jurisconsulti officio dicuntur esse despampta? Ita quidem  
nonnulli velint; qui sic statuunt, jurisconsultum in tribus  
occupitum esse oportere; ut honeste vivat, ut alterum  
non lèdat, ut suum cuique tribuat. Imo secundum præcep-  
tum, *alterum non laderet*, adeo coarctant, ut non ad cui suis  
civis, sed proprie ac speciatim ad jurisconsulti officium, qui  
cum altero litem habet, referatur. *Hottom. comm. Inst. just.*  
*& jure. §. in init.* Verum minus recte. Cum enim iura non in  
singulas personas, sed generaliter constituantur, adeoque  
omnes obligent. *l. 3. 4. 5. D. leg. præsertim ea quæ sunt juris*  
*naturæ. Adeoque juris ignorantia, & quidem universalis,*  
*regulariter unicuique noceat. l. 9. in init. D. jur. & fact. ignor.*  
*hæc tria juris præcepta, ut pote juris universalis ad omnes*  
*pertinere, omnesque obligare, ostendebat. Besold. ad d. l. 10.*  
*D. Iust. & jur. n. 11. VVarmser. loc. cit. n. 35.*

## XI.

An itidem hæc tria juris præcepta, restè dicentur esse opposita  
quædam repugna, tribus illis furiis, Libidini, Iræ, Avaritiæ, quarum  
concitatione & impetu, nisi ratione coerceantur, in omne vitium  
præcipites agamur, uti vult. *Baldwin. ad inst. S. 3. b. cit.* sic ut compe-  
scatur libido, si honeste vivatur, ira coerceatur, si nemo lèdatur,  
cupiditas seu avaritia refreneretur, si cuique suum reddatur? Ita qui-  
dem velint, *ad Inst. S. 3. Iust. & jure. Baldwin. Coras. in l. 10. D. eod. Mi-*  
*hi licet ingeniosa videatur esse trium juris præceptorum explicatio,*  
*veritati tamen minus congrua videtur. Neque enim tribus tantum*  
*in societate vitius, sed alius multis, suis præceptis obviam ire solet*  
*jurisconsultus. Quid quod fraudibus atque mendaciis hominum*  
*jure civili passim obviam eatur: licet ea nec libidinis, nec iræ, nec*  
*avaritiæ nomine sint commissa. S. 10. Inst. susp. tutor. & curat. S. 19.*  
*123. Inst. Action.*

F I N I S.